# DE MORBO CÆRULEO DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD...

Giovanni Battista Peressutti

# De
# MORBO CAERULEO

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD MEDICINAE LAUREAM

IN CELEBERRIMA STUDIORUM

UNIVERSITATE PATAVINA

PUBLICE DEFENDIT

JO. BAPT. PERESSUTTI

FOROJULIENSIS

PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLVI

AMANTISSIMO

## FRATRI AB. JOANNI

Hoc primum, qualecumque est, ingenioli mei specimen, frater carissime, nomine tuo ornatum prodire mihi est. Non nequeunt tamen ergo me benevolentiae hac die munus solvo, at si vires infirmiores defuerint, animi desiderium et fraterni amoris alacritas defectum suppleant.

Hic morbus variis nominibus insignitus ut cyanosis, caerulosis et alio hujusmodi, pendet, ut compertum est, a vitiis organicis tum congenitis tum acquisitis cordis nec non vasorum majorum, et quandoque etiam, ut videre est apud Hunter, Schuler, Baillie, Wilson, Kreisig qui de hoc morbo singulatim accuratiusque pertractarunt, ortum ducit ob exitu graviori et incurabili pulmonum pleuraeque inflammationis.

Quamvis morbi caerulei denominatio a colore caeruleo, quem cutis hoc morbo vigente acquirit, patest, tamen confundi minime debet cum aliis in quibus pariter caeruleus color in cute adest; nam hisce in casibus phaenomenon hoc est plus minusve perseverans affectionis cujusdam vel cordis, vel vasorum majorum, vel etiam pulmonum signum revera sistere potest. Nobis non est pertractanda haec affectio, quae mere dynamica evadit, verum de morbo caeruleo sermo erit, qui tuter affectiones revera organicas complectitur. Haec dicenda erant in primis ad morbi hujus veram ideam praebendam ac errores auferendos.

In duas classes dispertiuntur morbosa producta, quae in corde contingunt, ex quibus caeruleus morbus originem ducit. Ex istis complectitur una

vitia quaecumque sanguinis ingressui et faciliori circulationi in pulmones opponuntur, vel labes spectetur cujuscumque generis ad originem arteriae pulmonalis et ad ejus valvulas, vel vitium quoddam valvulis mitralibus haerens, vel aliquod aliud, ex quo sanguinis regressus ad posticum ventriculum per venas pulmonales ob coarctatum ejusdem ostium impeditur. Ob hanc rem sanguinis circuitus, ut omnibus patet, statuto certo tempore, imperfecte absolvitur et minor fit oxydationis processus. Hinc maximum discrimen necessario consequitur inter parvam et magnam circulationem, hinc damna quamplurima organismo eveniunt, quae omnia certe haud locum haberent, nisi hujusmodi vitia existerent. Quae ad hanc causarum seriem spectant, primigeniam conformationem cordis fetus antequam in lucem edatur recipiunt. Vitia hujusmodi sunt: foramen ovale pervium aut ductus Botalli, aut eorum alteruter minime clausi, quo in casu communicatio impeditur inter unum alterumque cordis ventriculum. His enim admissis neminem latet, sanguinem venosum per utramque venam cavam redeuntem necessario impelli debere partim ad auriculam posteriorem atque ad foramen ovale, partim vero Botalli ductum ingressum ad aortam transire, quin prius pulmonum ministerio tam necessarias subeat mutationem. Quapropter, ut omnibus jam notum est, sanguinis universalis oxydatio imperfecte efficitur et quantitate sanguinis certe minori quam in statu naturali. Hinc necessario eve-

nire debet modificatio functionum omnium et paupertas principiorum ad existentiam organismi necessariorum.

Altera classis autem ea vitia complectitur conformationis cordis, quae ejus evolutionem comitantur. Ab experimentis saepe saepius institutis atque observationibus ad progressivam fetus evolutionem spectantibus jam satis constat et omnibus patet, quod *punctum saliens* in ovo incubito, seu cordis rudimentum, prima evolutione simplex sit, e ventriculo tantum dextero efformatum, et progressu temporis sinister quoque evolvatur. Si itaque causa quaecumque interna, minus cognita, id efficiat, ut hic evolutionis processus perturbetur, aut quavis ratione modificetur, ne perfectionis suae gradum pertingere possit; cor fetus nascituri, structura quidem simpliciori donabitur et imperfectiori ea, quae ad vitae suae munera sustinenda requiritur. Et re quidem vera, cor unica auricula, aut unico ventriculo quandoque instruitur, ita ut cum animalium ordinis inferioris quemadmodum reptilium et batrachiorum corde comparari possit. De hac re Wilson expers scripsit et saepe saepius observavit. Sed quandoque vero non tantum unica auricula potius duabus et uno solummodo ventriculo conflatur, ita ut cordi amassim reptilium imperfectioris ordinis simile sit. Haec omnia frequentius occurrunt, atque a morbosa conformatione pendent, quae consistit in minus perfecta evolutione aut defectu septi ventriculorum cordis, ita ut communicatio inter utrum-

que ventriculum perpetuo adsit. Dantur haud raro in praxi casus qui letaliter evasi luculenter rem autopsia demonstrarunt, utpote superrime celeberrimus clinicus nunquam satis laudandus declaravit. Eadem pariter ratione explicatur quando aorta a dextero cordis ventriculo (non saepe tamen) oriatur; ex qua circumstantia juxta vitii gradum, extensionem atque antiquitatem eadem phaenomena totius circulationis manifestantur, quae, uno tantum ventriculo admisso, locum habent.

Ex itaque superius dictis clare patet binas productionum morbosarum species in corde distingui posse, quae morbo caeruleo occasionem praebent, quarum existentia vitae continuationi extra matris sinum, quamvis certis limitibus circumscriptae, minime opponitur.

Notandum insuper occurrit variam esse vasorum divisionem ac distributionem in hujusmodi cordis conformatione. Ita observatur quandoque similem esse distributioni vasorum in reptilibus, nempe arterias pulmonales oriri ab aorta, quae duobus ramis a ventriculis emanet, quorum alter aortae descendentis nomen acquirit, ex qua postrema arteriae pulmonales derivantur.

Symptomatographia parum lucis offert medico ut recte agnoscat et diagnosim instituat, cum de morbo caeruleo agitur vel non et cuinam classi revera adscribendus sit. Sed haec distinctio et hujusmodi diagnosis recte instituta a symptomatibus amussim perpensis parum prosit et inutilis prorsus quoad curae methodum evaderet; utroque enim in casu eaedem semper vigent curativae indicationes.

Morbus caeruleus in neonatis observatus utpote frequentior in iisdem, haec notata digna praesefert symptomata: manus, pedes, labia, conjunctivam palpebrarum, glandem, praeputium caerulea colore plus minusve suffusa, respirationem difficilem saepe ac saepius interruptam, frigoris sensum in genis atque extremitatibus. Hujusmodi color intensior fit dum puer lac sugit, vel flet, vel fortes edit corporis motus, respiratio tunc difficillima, celeris, pulsus ex more irregularis tunc a convenienti ac naturali rhythmo ita recedit, ut, teste Hunterio, terrorem incutiat. Damna quam plurima aegrotanti eveniunt et nisi aeger sub accessione moriatur, epilepticus quasi fit, vel aliud accidit, sensuum omnium facultate prorsus amissa. Sic non remanet et post majus aut minus temporis intervallum a somno profundo veluti excutitur, magisque tranquillus quiescit. Accessiones istiusmodi sibi invicem succedunt frequenter magis vel minus juxta gradum, extensionem, profunditatem aut formam vitii cordis inhaerentis. Tempore magis magisque progrediente, symptomata haec omnia sensim sensimque robore adaugentur, quod ut plurimum locum habet dentitionis aetate. Aliquando tamen nonnisi hac aetate palam fit symptomatum series. Statutis certis temporibus aliquando facile respirat, attamen respirandi facultas plerumque maxima premitur difficultate. Non raro oedemata observatur pedum, acies languet oculorum, gravemque intus lateris affectionem ostendit. Si aetatem

attingat puer qua luculentur patefiat, de algoris sensu, anxietate, capitis dolore, laxitudine, oculorum obnubilatione semper conqueritur, pectoris dolore vexatur, mortemque sibi autumat continuo imminere. Aegri cum proximum fore praesentiunt paroxysmum, se pronos locare student, atque pectus alicui firmo corpori valde applicant, vel ipsis manibus comprimunt. Hisce jam symptomatibus sensim sensimque ingravescentibus labefactantur, et tandem post multa mala extremam obeunt diem. Vel propter eximiam debilitatem, quam status hydropicus comitatur, id evenire solet, vel alio quocumque adveniente morbo praesertim febrili in scenam prodeunte, idque ut plurimum pubertatis aetate.

Organismi evolutio universalis parum quidem a naturali norma recedit; nonnulla tamen notatu valde digna observantur. Hujusmodi sunt ex. gr. peculiaris intumescentia mollium partium, digitorum phalangum; articulationum crassities ac dilatatio, color earum fuscus praeter alias partes; ungues convexae fiunt, digitorum apicibus incumbentes graciles sunt et parum extenduntur; qua de causa Hunter eas canis leporini unguibus aequiparat; brachia extra naturam longa observantur.

Aliud symptoma semper fere constans, magna est ad haemorrhagias proclivitas. Sanguis autem sic fluens est serosus, coloris fusci, atramento similis, perinde ac si fuligine commisceretur.

Res autem haud parvi momenti considerari de-

bet, recte cognosci atque distingui an caeruleus morbus e congenita cordis vitii oriatur, vel potius a morbosa aliqua conditione organorum respirationi inservientium. In suspicionem incidere possumus labis latentis cujusdam pulmonesque obsidentis etiam in neonatis si tussis perseverans, ab initio usque morbi, essentiale veluti signum adnotetur, quo in casu pathologica conditio ejusdem morbi caerulei a tuberculis aut indurationibus parenchymatis pulmonalis constituitur. Quae morbosa producta cum vel situ, vel magnitudine, vel numero vasa quaedam majora aut etiam minorum ingentem quantitatem comprimunt; diameter ipsorum tali pacto imminuitur ita ut, conveniens proportio magnam inter et parvam circulationem auferatur, ideoque morbus caeruleus exsurgat. Aliquando etiam (etsi rarius) pectoris hydrops, vomica vel abscessus, adhaesio membranarum pleurae inter se, in causa sunt cur morbus caeruleus evolvatur. Haec morbosarum productionum genera ad primam classem ob effectus analogiam referri debent.

Color caeruleus quoad primam classem signum veluti pathognomonicum consideratus, adscribendus est vel quantitati majori sanguinis in systemate venoso ob impeditum ejusdem ad arterias transitum, vel etiam principio ipsius carbonioso redundanti; quapropter nigrum colorem naturali intensiorem adeptus, universa corporis superficies eodem suffunditur, et caerulosis phaenomenon in promptu est.

Quoad alteram classem quemadmodum circulationi sanguinis universali nullum adest impedimentum, sed vias tantum extra normam constitutas sanguis ingredi cogitur, ita evenire debet ut sanguis ipse materia carboniosa plus minusve refertus inveniatur, eo quod respirationis ope necessariam mutationem non subierit.

Ex hisce omnibus hactenus expositis sequentia veluti corollaria inferri posse videntur, quibus propositiones nonnullae physiologicae magis magisque confirmantur.

1.° Quod nulla alia sanguis ratione nisi ministerio respirationis novas induet qualitates, hoc est carboniosa excedenti materie expolietur, eodemque tempore oxygenio saturetur.

2.° Quod calor animalis ob hanc sanguinis mutationem evolvatur, contre opinionem Brodier aliorumque, qui post instituta experimenta, ingeniosa quidem sed minus tuta, caloris evolutionem ab actione cerebri repetendam esse arbitrati sunt. Cerebrum voltanae pilae aequipararunt, quae, quum semel in actum edducatur, perpetuus fluidi electrici circulus exoritur. Hac autem ratione asserere non dubitarunt calorem animalem extricari ob electricitatam prius in cerebro evolutam, et nervorum ope per universum corpus distribui.

3.° Quod sanguis, spectata ejusdem mixtione, solidorum actioni obtemperet, vitaque mera passive donetur, neque activa fruatur, nisi ad nutritionem suppeditandam disponatur.

Cum itaque salutaris ars morbos organicos tum congenitos cum acquisitos cordis atque pulmonum haud sanare valeat, cumque individui hisce morbis obnoxii vitam saepe longam vivant; ita medicinam facientis munus est omni studio incumbendi ut aut morbi insanabilis vis frangatur, aut aegri labores mitigentur, aut ejus vita imperfecta, quousque licet, procrastinetur.

Indicationes ergo praecipuae eo tendere debent, ut actio cordis quoad fieri potest nunquam stimuletur, aut nimis prosternatur, accessus morbi minus frequentes reddantur, et morbosi affectus mixtionis sanguinis corrigantur.

Primae autem indicationi satisfacit et animi quies, diaeta tenuis, austera. Haec quidem praesidia ad compescendum sanguinis impetum apta sunt, propterea que cordis et pulmonum morbose affectorum actionem imminuere.

Quoad alteram indicationem quamplurimam utilitatem conferre posse videntur sanguinis evacuationes nec non remedia sic dicta refrigerantia identidem administranda.

Quoad tertiam vero indicationem, cum medicus parum aut nihil respirationis in sanguine influxum agnoscat, characteres peculiares morbosae ejusdem mixtionis ignoret, naturam atque conditiones, ex quibus originem ducit, recte investigare nequeat, et tandem chemicorum processuum in corpore humano valde mutabilium leges haud novisse valeat, necessario consequitur ut multum difficultatis sibi parere medicus concipiat pro in-

dicatione hacce tertia satisfaciendo, nempe sanguinem, ut ita dicamus, repurgandi, ejusdem pravam mixtionem corrigendi, atque nimis debili respirationis in sanguine influxui consulendi.

Ab expositis comprehendi potest quanti habendae sint variae curae methodi ab auctoribus in medium allatae quoad morbum caeruleum.

Leutin oxygenii puri inspirationem commendavit atque laudibus ad sidera tulit; sed frustra. Praesidium hoc inutile prorsus evasurum quisque videt, eo quod perva nimis sanguinis copia pulmones permeat, praesertim, si divisio nostra secunda spectetur, et insuper excitamentum nimis validum pulmonum damni potius, quam emolumenti quandoque esse posset, morbique maximam et lethalem exacerbationem inducere.

Nevin injectiones sanguinis sanorum in aegri venas proposuit. Concilium hocce physiologice consideratum admittendum esse videtur, etenim tali pacto praecipuum sanguinis vitium tollitur, morbosa nempe ipsius mixtio. Attamen cujuscumque individui sanguis peculiari mixtione donatur, qui suo proprio colore adspicitur; propterea liquido patet quinam sequerentur effectus ex hujusmodi sanguinis permutatione. Examina juxta hanc methodum instituta satis superque probarunt injectiones haud semper innocuas evadere, neque periculosis sequelis carere, sicut quoque Haller in magno Physiologiae opere retulit uberrimis argumentis.

Nasse pilam voltaicam proposuit; verum ipse quoque de felici applicatione dubitat.

Ad ea potius, quae Farre commendat, attentionem convertere opportunius videtur. Idem auctor balnea calida magni facit, ex quibus incommoda sublevari, atque vitam ad longaevitatem perduci se observasse fatetur. Majorem hoc pacto sanguinis quantitatem ad capillaria impelli existimat, et, calore in cute evoluto, sanguificationis processus in pulmonibus imperfectus compensari.

## THESES.

I.

*Inter verba et ideas plerumque nulla intercedit naturalis connexio.*

II.

*Vinum in melancholia et hypochondria saepe saepius juvat.*

III.

*In humano corpore fermenta non dantur.*

IV.

*Venenum absolutum non datur.*

V.

*In mutatis linguae conditionibus habemus symptoma interdum pro morbis cerebri, pulmonum, stomachi et vasorum.*

VI.

*Tympanitis morbis inflammatoriis abdominis superveniens valde timenda.*

VII.

*Foetor cadaverosus ante mortem est certius mortis instantis signum.*